

K. Kantak

Primum saeculum Ordinis Minorum

Collectanea Theologica 12/1, 110-117

1931

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

RECENZJE.

Primum saeculum Ordinis Minorum.

Perenne meritum Pauli Sabatier remanebit, quod in libro suo de s. Francisco scivit Pauperculum reddere propinquum, charum, comprehensibilem homini hodierno nec non quod commovit curiositatem nostram adversus s. Franciscum et religionem eius. Secuta sunt multa opera et opuscula, sanctum Assisiatem tractantia, nullum tamen aequat librum Sabatier.

Pensando causas successus biographiae huius, ponderis maximi aestimemus accuratam cognitionem loci et temporis, intuitionis plenam introspectionem animae s. Francisci, indolem scriptoris egregiam. Attamen rememorantes omnia haec positiva, non possumus tacere aliquid negativum. Sabatier non possidet sufficientem comprehensionem autoritatis religiosae, subjectivista est. Hoc charactere scriptoris in opus eius infiltrato, certe inconsenter et involuntarie, Franciscus eius factus est etiam subjectivista religiosus. Habuit sanctus manifestas notas individuales, expressas in hac parte vitae eius quae erat maximi momenti, absorbens omnia alia, tamen Sabatier eas nimis promit, multum exagerat, in umbram reducens amorem organisationis ecclesiasticae. Conflictum inter idealistam et realem formam vitae et rerum humanarum, qui conflictus tam frequens, tot hominibus pro eorum individualitate proprius, permutat in antagonismum inter Franciscum et Ecclesiam, personificatam in Hugolino cardinale.

Inde consequentia ponderatissima: Sabatier agnoscit spiritum Franciscanum vix fundationi Franciscanae, Ordini Fratrum Minorum in initio eius. Generaliter loquendo, historia Ordinis non est nisi historia defectionis a s. Francisco. Exceptiōnem concedit Spiritualibus: heroes sint qui conservarint verum spiritum Pauperculi. Unde eorum conflictus cum communitate Ordinis et Ecclesia. A Francisco ad Iacobonum da Todi recta linea evolutionis dicit. Apostatae sunt tam Elias de Cortona quam s. Bonaventura quam Acquasparta. Huius defectionis causa intima est Ecclesia Romana. Gregorius IX et Joannes XXII stant in eadem linea actionis anti-franciscanae.

Etiam sub hoc respectu liber Sabatier magnopere influxit homines nostri temporis, litteras pulchras, immo historiae scriptores. Ne opus: *Le Passé chrétien* d. Dufourcq quidem liberum se tenet a vestigiis talium idearum (VI, 440 n.). In Polonia nostra tantum memoramus traductionem libri Sabatier (factam a P. Hulka-Laskowski, Cieszyn, 1927, quae posset esse melior), S. Wasilewski Cunegundis Ducissa, Lwów 1928, traductionem Florum s. Francisci (L. Staff), opera L. M. Staff.

Triginta septem anni defluxerunt a prima editione libri de s. Francisco Pauli Sabatier. Decursu huius temporis inventi sunt ignoti prius fontes, in meliorem ordinem redactae vitae ac legendae s. Francisci antiquae, editae publicationes concernentes origines atque initia Ordinis Fratrum Minorum. Nunc, h. e. anno 1928 supra fundamentum omnium eorum prodidit in lucem opus, describens evolutionem Ordinis Minorum primo eius saeculo: *Histoire de la Fondation et de l'Evolution de l'Ordre des Frères Mineurs au XIII siècle*, auctore P. Gratiano, directore ephemericis Etudes Franciscaines.

P. Gratianus non habet in animo scribere vitam s. Francisci, sed historiam evolutionis eius Ordinis. Propterea s. Franciscum non tractat qua subiectum biographiae, sed unice qua fundatorem Ordinis. De tali proposito P. G. expresse loquitur et plenissimum ius talis consilii habet. Attamen hoc momentum: „Franciscus qua Ordinis fundator“ in libro Sabatier speciali modo tractatur non aequo animo, ecce operis p. citati gratia iustum correctionem adeptum est aut potius exhibitum in vera luce.

Analysi minutissima documentorum concernentium s. Franciscum absoluta, concluditur eum nullomodo fuisse subiectivistam religiosum ad instar e. g. Fratrum liberi animi, sed in eo aequam fuisse summam individualitatem ingenii ac absolutissimam agnitionem auctoritatis religiosae. In hoc Franciscus erat homo Medii Aevi, non aliter ac s. Bernardus, ac Rogerius Bacon, ac Dante. Quae duo momenta hodie possunt videri opposita, ad minus primo intuitu, Medio Aevo tamen coniungebantur. Neque solo Medio Aevo, hodie quoque videmus viros abundantissimae vitae religiosae, sua sponte et conscienter subiectos auctoritati, ut celeberrimus Newman.

Nullum dubium, quin Franciscus ultimis suis annis considerarit evolutionem Ordinis cum amaritia cordis, quod probatur derelictione generalatus. Aliae sunt vero causae talis status animi ac vult Sabatier: resident in collisione inevitabili inter ideale ac eius incarnationem, inter idealistam ac conditiones actionis. Ideo nullomodo Franciscus erat in oppositione cum cardinale Hugolino, quin etiam eundem foundationis suae defensorem aestimatbat. Idem valet de s. Clara. Cuius demum relatio ad cardi-

nalem (postea Papam) maxime notabilis, in satis claram lucem ponit etiam opinones s. Francisci et eius de Hugolino ideas. Hic duo adveniunt problemata: alterum, ad quem gradum Franciscus se certum reddebat. Ordinem in sua evolutione debere deflectere de suo ideali. „Testamentum“ probat in nostra opinione, quod anima eius hoc problema volvebat dolorose. Alterum, quae erat evolutio idearum Hugolini de s. Francisco et eius Ordine. Sabatier vidit aut ad minus suspicatur in Hugolino quasi ex uno lapide sculptum repraesentantem Ecclesiae Romanae nihil meditantem nisi defranciscationem (sit venia verbo) nec non Romanae Sedi subjectionem. Quam tamen, aliquantulum simplicem, opinionem non posse subsistere dubium non est, hodie documentis historicis undeaque collectis et perspectis. In Hugolino opinones de Ordine Minorum evolvebantur, perpetuo tamen erat sub influxu s. Francisci. Amborum problematum explicita analysis complevisset studium p. G. in hoc momento fundamentali et librum eius reddidisset clariorem.

Pnum problema coniungitur cum quaestione „Testamenti“ s. Francisci. Optime p. G. relevat partem iuridicam „Testamenti“, explicans tempore conscriptionis eius Franciscum iam non habuisse potestatem condendi leges pro Ordine. Proinde „Testamentum“ ex se non possidebat vim legis. Ad eam assequendam debuisset confirmari a factoribus competentibus, specialiter a Sede Apostolica, quod vero non factum est, e contra iam Gregorius IX (Hugolinus) declaravit „Testamentum“ vim legis non habere. Quae procedura omnino correspondebat opinionibus legalibus Medii Aevi, specialiter s. XIII maxime floribus. Melius p. G. fecisset tractando quaestionem hic notatam omnimodo et ex professo, pricipue agendo de hoc, quomodo contemporanei rem conspicerent. Nos enim non voluntarie intuemur „Testamentum“ sub influxu idearum spiritualium s. XIV, Observantium s. XV, nec non sub vi personae s. Francisci, decursu saeculorum omnia obscurantis.

Praeter hanc partem formalem „Testamento“ inest altera quoque realis. Quoad contentum, Testamentum non est nisi sui generis efformata Regula. Nonnullae exstant redactiones Regulae, quas ipse s. Franciscus confecit pro evolutione Ordinis. Si iam tempore vitae eius circumstantiae permutationum in Ordine cogebant sanctum mutare Regulam: num supponendum est post mortem eius ulteriores mutationes evitari posse? Impossibile videtur Franciscum ipsum id non intelexisse. Ulteriores immutaciones in alia forma factae sunt: declarationum Regulae. Res ipsa inevitabilis erat. Inde, et „Testamentum“ est maximi momenti „document humain“. Non potest tractari qua documentum juridicum, nec etiam qua definitiva expressio voluntatis conditoris, sed qua unus ex textibus Regulae eius, pro circumstantiis ultimus.

Putamus analysisim problematum hic memoratorum de „*Testamento*“, afferre posse aliquam elucidationem relationis s. Francisci ad Ordinem et eius evolutionem. Materialia dictarum quaestionum liber p. G. continet, problemata ipsa tamen ex professo non tractat.

Omnino iuste p. G. evolutionem Ordinis Minorum adscribit non impulsui Paparum, sed interiori processui intra eum agenti. Primitivam associationem Portiunculae ab intra disrupta rapida et immensa invasio candidatorum, atque id clericorum in diem aucta. Hoc mutabat faciem Ordinis. Nisi esset occulenda haec invasio, — quod vero esset petrificatio Ordinis, et quod nolebat s. Franciscus — nihil remanebat nisi adaptare Ordinem ad hunc processum. Haec adaptatio exprimitur in mutatis redactionibus Regulae — „*Testamentum*“ tenet locum momenti retardativi — necnon in posterioribus constitutionibus capitulorum atque declarationibus Papalibus. Secundum nostram opinionem, influxum Paparum in evolutionem Ordinis quoad hoc momentum, ad minus immediatum, summopere restringendum esse: Bullae generaliter satis habuerunt agnosceret et approbare mutationes, effectas interiore situatione et actione virium intra Ordinem. Quae tamen quaestio speciali modo agenda esset.

Accessus tot clericorum effecit, quod scientia, a s. Francisco non adhibita qua medium actionis, id facta sit, et quidem valde celeriter. Notamus hic, analysisim opinionis s. Francisci de scientia nos aestimare unum ex optime absolutis problematibus libri p. G. Ex eo sequebatur diminutio vel amotio laboris manualis qua medii sustentationis, aedificatio conventuum et translatio intra oppida, finaliter mutatio opiniorum de paupertate. Patet, etiam alias causas influxisse in evolutionem Ordinis: exemplum FF. Praedicatorum et Benedictinorum, cura animarum et conflictus cum clero saeculari, mandata curiae Romanae, exemptiones. Superfluum est reminisci in his rebus grana iam iacta esse a s. Francisco, etiamsi ipse de arbustis et arboribus ex eis incrementibus, probabiliter miratus esset. Hoc tamen relevari valet, intimam coniunctionem Ordinis cum Papatu productam esse non tantum qua sequelam actionum Francisci, sed utique ideam eius primordialem fuisse.

Sic brevi tempore Ordo s. Francisci maximam evolutionem passus est. Exprimitur constructione s. Bonaventurae, secundi Ordinis fundatoris secundum denominationem p. G. Atque hic quoque notamus, pondus Bonaventurae qua organisatoris Ordinis plene exhibitum esse demum in hoc opere.

Doctor Seraphicus praeter paupertatem, exemplum, praedicationem poenitentiae, media actionis Ordinis constituit scientiam cum praedicatione Scripturae et curam animarum. Externa manifestatio huius evolutionis, huius mutationis fuit in ea cir-

cumstantia, quod residuebat neque Portiunculae neque in Sacro Conventu, sed in conventu Parisiensi, sede litterarum. Nihilominus nunquam desierat fortiter instare in paupertatem. Principium recognoscet: non solum Ordinem nullam posse habere proprietatem, sed etiam usum pauperem, sc. quod eis, quibus utuntur Ordo et fratres, licet ut tantum cum summa exiguitate, eis tantum, sine quibus nullomodo vivere possint.

Haec evolutio eveniebat non sine luctis in visceribus Ordinis. Maxime auditur causa Eliae de Cortona. Erat homo, nimis leviter tenens principium paupertatis cui tamen debemus basilicam Assisiensem. Contrarium repreaesentabat Joannes de Parma. Inter eos Bonaventura vult colligere communitatem in medio et hoc ingenio eius contigit.

Ut impedit agitatem elementorum extremorum, abutentium traditione s. Francisci, Capitulum generale decernit Bonaventuram redacturum esse novam vitam s. Francisci, anteriores cremandas esse. Conscriptit Doctor Seraphicus legendam suam, idealem imaginem secundum ideale Minorum medii saeculi XIII, sed secunda pars decreti — feliciter — totalem executionem non est passa. Pervenerunt ad nos anteriores legendae et vitae, quae veram effigiem s. Francisci et initia Ordinis reproducere permittant. Decretum Capituli et Bonaventurae, auctoris eius in toto aut magna ad minus in parte, nominaremus vandalismum et putaremus documentum falsificationis consiliorum s. Francisci relate ad Ordinem. Attamen intuentibus oculis hominum illius aetatis, aliud aliquid in eo considerandum est. Existimarent id esse medium conservanda unitatis et disciplinae Ordinis. Sed etiam putarunt novam meliorem legendam reddere anteriores superfluas. Ut parvam etsi traditionibus abundantem, sed arctam et minus speciosam destruebant capellam ad aedificandam eius loco monumentalem domum Dei, ita putabant posse comburi veteres legendas, nova perfectiore conscripta. Ne exiguamus a saeculo XIII cultum documenti historici.

Agit p. G. quaestionem, an remanserit in Ordine spiritus s. Francisci, reorganisatione s. Bonaventurae peracta? Forsan est hic abscondita responsio opprobrii a Sabatier facti, quod iam Gregorius IX deformaverit ideam s. Francisci. Concludit p. G., Bonaventuram nonnullis exterioribus et secundariis notis neglectis, in essentialibus et gravibus conservavisse spiritum Pauperculi.

Post mortem s. Bonaventurae a. 1274, evidenter iam non retentus eius manu forti, Ordo brevi tempore rursus defluebat in relaxationem. Lucta viget de usu paupere, uno ex fundamentis constructionis Bonaventurae. Non perduravit sequentem generationem. A. 1309 Clemens V instituit commissionem Cardinalium, inquisituram observantiam Regulae nec non causam Spiritualium.

Sicut communitas Ordinis derelinquebat in diem observantiam medium (*moyenne*), expressio p. G.) s. Bonaventurae; minor pars volebat reverti ad primitivam austерitatem et simplicitatem s. Francisci. Sunt Spirituales (Fraticelli, Zelanti). Non in eo res agitur, quod multi eorum sequebantur ideas apocalypticas, re ipsa haereticas Joachimi de Flore, ceterum dux intellectualis Spiritualium Petrus Joannes Olivi tenebat orthodoxam Ecclesiae doctrinam. Cuius rei nulla ratione habita propter austерitatem vitae, cultum s. Francisci tam manifestum, imitationem eius mortificationum, persecutions toleratas, forsitan etiam propter splendorem poeseos Jacoboni da Todi, nos hodie inclinamus ad eos agnoscendos veros discipulos Pauperculi et reales detentores spiritus Franciscani.

Intima analysis scriptorum et modi procedendi eorum tamen ad aliam iustiorem existimationem p. G. perducit. „Adest contrarium singulare inter Spirituales et coetum amabilem primorum sociorum s. Francisci. Hi amabant et cantabant paupertatem iucundam neminem anathematisantem, illi putantes se omnino fideles depositarios opinionum Pauperculi sequebantur paupertatem ferocem et severam, semper maledicturam“. Concludit p. G. neque Spirituales neque Communilitatis socios repreäsentasse fideliter spiritum s. Francisci, alteros relaxantes, alteros coartantes. Profitetur igitur opinionem, quam iam ante sex saecula poetam Dante expressisse meminit.

Non solum Coelestinus V, sed etiam Clemens V tuebantur partes Spiritualium. Commissione cardinalium diversos abusus exhibente, plures praelati Ordinis puniti sunt. Declarata est etiam orthodoxya Olivi.

Desiderium Spiritualium, independentiae a Communitate non est exsolutum. Attamen licuit eis transire ad alium Ordinem, remanentes autem collocati sunt in pluribus conventibus, ubi secundum ideas suas rationem vitae instituere poterant. Quae omnia affirmant nostram opinionem superius expressam Sedem Apostolicam non impulisse Minores ad idealia Pauperculi derelinquenda, neque in ea specie, quam induerant in conceptionibus Spiritualium.

Demum tempore Joannis XXII situatio mutatur. Papa stat manifesto pro Communitate neque amplius tuetur Spirituales. Sequitur eorum persecutio, valde dolorosa. Re vera, confiteamur, non aliter ipsi processissent, si vicissent. Ceterum sufficit intueri Arborem Vitae Ubertini da Casale.

In recensione nostra voluimus tantum exhibere ideam dominantem atque pondus operis, non valentes reddere totam abundantem materiam. Significavimus quoque nonnullas partes infirmiores, hic illic contingentes. Quae tamen non sunt graves neque magnum detrimentum ideae principali afferunt.

Librum contextus plus quam 500 paginas numerantem complicant 160 paginae additamentorum. Quae describunt actionem Ordinis Minorum sub multis respectibus decursu s. XIII, in brevissima patet forma. Si de eis ageretur tam explicite, quam de propria quaestione operis, haberemus absolutam historiam Ordinis Minorum s. XIII. Nonne p. G. suscipiat tam gratum laborem?

Themati proprio adjungitur problema evolutionis Clarissarum necnon earum regularum. Jam supra memoravimus, quod analysis minuta relationum cardinalis Hugolini ad regulas Clarissarum in meliorem lucem reddidisset relationes eius cum s. Francisco, huiusque regulis, Testamento inclusio. Ideo melius esset, videtur nobis, loco absolvendi rem hanc in Additamento, tractare in textu principali, ad minus usque ad mortem s. Clarae.

Cum curiositate perlegimue capitula, describentia evolutionem Ordinis ad extra, specialiter in Polonia, ubi Ordo Minorum rapide propagatus est, notabilem influxum exercens in res gestas Ecclesiae et civilisationis Polonae. Hic vero deceptionem passi sumus. P. G. generaliter satis habuit repetere id quod scribit Holzapfel (*Handbuch der Geschichte des Franziskanerordens*). Si conficiens librum suum, nondum potuit cognoscere studium nostrum de origine conventuum Medio Aeo in Polonia (*Entstehung der polnischen Konvente der bohemisch-polnischen Franziskanerprovinz*, Franziskan. Studien 1929), attamen dolemus eum non consultasse Biernacki, *Speculum Minorum*, Cracoviae 1688. Provincia Boemiae et Poloniae exdivisa est ex provincia Saxoniae 1238/9. Primitus pertinebant ad eam etiam conventus custodiarum Vratislaviae et Aurei Montis in Silesia et loca in Prussia. Conflictus de Observantia eam non attingebant. Principaliter Fratres Minores nostri laborabant in missiobibus, non solum interiorem curam animarum agentes, sed etiam evangelisantes paganos Lithuanos et schismaticos Ruthenos. Attamen provincia haec, unica in orbe, facta est theatrum luctarum nationalium Germanorum cum Slavis, Polonis et Boemis, quod ei attulit diminutionem in occidente.

Maximi momenti in ea erant Clarissae. Coruscant patronae celebres: b. Agnes Pragae, soror eius ducissa Anna Vratislaviae, b. Salomea, Cunegundis, Jolenta in Minore et Maiore Polonia. Inter alia canonisatio s. Stanislai magna ex parte debetur Minoribus. Primum et celeberrimum canticum polonum „*Bogu Rodzica*“ in conventu Clarissarum in Sacz extitisse fertur.

Actio Fratrum Minorum in provincia nostra alia erat multo sub respectu ac in Italia et Gallia, non minus tamen fructuosa, non minus extendebat regnum Dei. Conspectus eius ampliavisset chartas operis.

Liber p. Gratiani, cuius recensionem scripsimus, est ponderatissimum monumentum inquisitionum Franciscanarum. Primum

saeculum Ordinis subiectum tot discrepantibus opinionibus, nunc in clara luce patet, quam definitivam esse putamus, saltem in principali quaestione, h. e. quoad relationem s. Francisci cum suo Ordine et evolutionem observantiae. Si p. Gratianus pervenit ad tanti momenti resultatum, hoc non dependet solummodo a minuta cognitione materialium et eorum methodica elaboratione, sed etiam ab ingenio autoris, perspicaci intuitione hominum et rerum, subtili comprehensione tenuiorum discriminum, acua analysi complexus ad invicem agentium et reagentium factorum, finaliter a vere obiectiva ponderatione omnium momentorum.

Pińsk

K. Kantak.

Ks. Kazimierz Kowalski: Profesor Arcybiskupiego Seminarjum Duchownego, Docent Uniwersytetu Jagiellońskiego; **Podstawy filozofii.** Gniezno 1930. Nakładem: „*Studia Gnesnensia*“. Str. 272.

Kazimierz Kowalski: Grundlagen der Philosophie. Gniezno 1930. Verlag der: *Studia Gnesnensia* 1930. 272 S.

Um zu den Grundlagen der Philosophie zu gelangen, legt sich der Autor die beiden Fragen vor: Was erkennt der Mensch und wie kommt seine Erkenntnis zustande?

Für unser Problem ist die Lösung der ersten Frage die wichtigere. Der Autor tritt an ihre Beantwortung damit heran, dass er alle theoretischen Wahrheiten des gesunden Menschenverstandes — nicht aber die des praktischen Lebens noch die der Grundlagen der Ethik und der Offenbarung — dem methodischen d. h. vorläufigen Zweifel unterzieht (100—101); dieser müsse aber haltmachen vor Wahrheiten, bei denen eine Disharmonie zwischen Subjekt und Prädikat ausgeschlossen sei; dieser Fall liege vor (103):

1. wenn zwischen dem Erkenntnissubjekt und Erkenntnisobjekt keinerlei Distanz vorhanden sei; das gelte dann, wenn sie identisch seien;

2. wenn das Erkenntnisobjekt nur aus einem Erkenntniselement bestehe.

Der Grund für diese Ausnahme sei nicht die einleuchtende Klarheit solcher Urteile, sondern die Torheit jedes Zweifels (108). Unser Autor geht also ebenso wie Cartesius von der unmittelbaren Selbstbeobachtung aus, schliesst sich aber in ihrer Auswertung eng an den hl. Thomas an, indem er die Stelle De veritate I, art. 9 näher dahin erklärt:

1. im Akte der Reflexion über den Erkenntnisakt befinden sich nicht nur der Urteilsakt und in ihm die Akte der einfachen Wahrnehmung, sondern auch der Erkenntnisgegenstand (107),

2. diese Reflexion zeige nicht nur die Tatsache der Uebereinstimmung des Erkenntnisaktes mit dem Er-